



DN. VDALRICI ZASII  
 LL. DOCT. CLARISSIMI, IN PRI-  
 MAM DIGESTORVM PARATITLA,  
 siue titulariae annotationes, denuò iam in Iuris prudentiae studio-  
 rum usum excusa, Indiceq; rerum toto opere memo-  
 rabilium, nunc primum adiecto.

I T E M

*Aduersus ineptam ἀλώωνδμεσ cuiusdam, calumniatoris impudentissimi λαοσ  
 γραφίας, Doct. Nicolai Freigij confutatio, quam  
 uersa pagella monstrabit.*



*Cum inchoata Caesarea Maieſt. & Christianissimi  
 Regis Galliarum priuilegijs.*

BASILEAE, APVD MICH. ISING,  
 ANNO M. D. XXXIX.



**E**N denuò **ZASII** præceptoris nostri, nunquam satis laudari viri Paratiela, candidè Lector, à quibus alijsq; **Zasiani**, quæ post ipsius obitum damus, amplectendis, ne te remorentur invidæ zolitorum quorundam obrectationes, qui nos conatusq; nostros, quibus studia prouehere publica satagimus, dentatis quibusdam ac plus q̄ Archiloehicis præfationumculis peroscindunt, quod hæc nostra, quæ præter Intellectus singulares prodeant, ab ipso **Zasio** neq; cognita sint, neque in lucem data. Quæ sanè dum liuore quodam per citi, parum cõsiderate (quod inuidiæ peculiaris est) nobis obijciunt, non animaduertunt suam interim impudentiam, & erga doctis, clarissimily uiri manes insignem ingritudinẽ, palàm notari. Nam quod in his primum ab ipsis asseritur, non esse ab ipso **Zasio** cognita quæ nos proferamus, falsissimum esse uel hoc Paratielorum opus abundè coarguerit, in cuius præfatione autor ipse pollicetur se fideliter, accurate ac politè tractaturum omnia: quod adeo quidem in toto & obseruauit & præstitit opere, ut in calce nò dubitarit hæc uerba adijcere: *Habes Lector, quæ mihi per summam in hac prima parte Digesti ueteris colligenda uidebant, rem olim per cineres nostros merita laude cõmendandam &c.* Quibus cum etiam lectorem, non auditores tantum alloquatur, quis non editioni iam destinatum opus, & ab autore cognitum agnoscat? Enarrationibus uero in tit. de actiõibus, ut ceteros præteream, quas in idem superiõibus annis dedimus, & autor ipse eidem illi cui nũc inscriptæ sunt, nisi morte fuisset præuentus, iam tum erat dedicaturus, quid est abolutius? ut ne quid de *Consilijs* interim dicam, quæ si uir ille summus ad iudicium etiam subfelia arduis maximisq; in causis pronũciare nò erubuit, cur nos deesse istis limam putemus, eaq; tanquam minus idonea, aut **Zasij** nomine indigna supprimamus? Nam quod se utuo edi illa **Zasius** non uoluit, alijs de causis factum est, quàm ut suppressa ea perpetuò uoluerit, quas prudens lector cogitatione apud se facile adsequetur. Ad ea porrò quæ his pari temeritate addunt (Sed ut obiter ab ore prælegentis excepta &c.) sic lector habet: Satis constare auditores **Zasij** nihil nisi publicè dictante ipso excipere solitos fuisse. Si igitur quæ non nisi eo dictante auditores exceperunt, tanquam inepta & luce indigna, publicanda istis non uidentur, certe necesse fuerit de ipsius **Zasij** dictatis, quæ excepta necessariò præcelsent, idem iudiciũ habeant: ex quo consequetur, **Zasij** (si istos audiamus) non diligenter, sed obiter prælegere solitum, adeoq; nò præmeditata, nò elaborata, non luce, sed tenebris digna, in scholas attulisse ac dictitasse. An istud nò est **Zasij** fraudis, imposturæ, præmeditatiq; doli cuiusdam insimulare, taciteq; notare: quod quidem quàm decenter & honestè castissimis illis umbris (ut nominant) oblique ita ac uelut aliud agentes impingit, ipse uideat. Nos sanè in ea sumus opinione Lector, ut arbitremur ne uerbum quidem inter docendum cõsummatissimo illi iuris interpreti unquam excideret potuisse, nedum inter ea quæ dictante ipso auditores exceperunt quicquid extare, quod non uideri debeat uel ipsius nomine, uel studioforũ manibus, uel laude sua & admiratione dignum: tanta fide ac sedulitate, quod uno ore omnes illius discipuli testabunt scio, docuit uir iste semper. Testat id ipse met autor in tit. de uerb. ob. (quæ. Deo uolente, uernalibus nundinis dabimus) in l. centesimis. quo loco in duci iussit ea quæ lucè ferre nò possent, quemadmodũ uidere est in omnib. manuscriptis exemplaribus: è quo loco manifestũ est reliqua ipsi luce digna uisa fuisse. Quamq; minime sit dissimulandũ, quin hæc longe augustius in publicũ proditura erãt, si ab ipso autore fuissent emissa: quod sanè in commodũ nos quoq; in præfatione eiusdẽ operis prius edita deplorauimus, quæ calũniator ille aut turpiter præterijt, aut se non uidisse improbe dissimulat. Sed quid hic facias? Intereat ne opus hoc quod tam magnũ in incrementũ suscepit, & irriti bent cor noctium uigiliæ ac dierũ labores, quòd magister illis prius occiderit quàm editionẽ adornasset ipse? Atqui eadẽ ratione supprimẽda erãt *Bartoli* ac *Baldi*, *Salici* & *Castrensis*, *Alexãdri* atq; *Iasonis* uniuersa, ceterorũq; in iure scribentiũ omnium: nam & horũ uigiliæ nò ab ipsis dominis emissæ, sed magna ex parte à discipulis exceptæ, ad nos trãslatæ fuerũt. Quibus omnib. carituri certe fueramus, si eius grati homines eandẽ superstitionẽ secuti, hæc sepultra manere, q̄ ad posteros deriuari maluissent. Sed si totam hanc causam cõmoneri, q̄ exagitari amissa spe exigui istius lucelli, quod in excudẽdis hæc ipsi facere maluissent, quod uel adnerantũ nobis factõ pareat, eorũq; scriptis probet: id sibi nò obtigisse nũc iniquè ferũt, alijsq; oblatũ in uident. Hinc scilicet ille lachrymæ, hæc tanta indignationis causa est, digna scilicet propter quã piensissimi ac præceptoris sui studiosissimĩ discipuli, tam atroci afficiantur cõtumelia. Verũ huius causæ persecutionẽ reliquã in aliud tempus differemus, expectantes an forte inuidensissima hæc furia caput attollere ac sese prodere aliquãdo audeat. Impresentialiũ factis sit hæc ad friuola illorũ et plena liuore obiecta, obiter saltè respõdisse. Quamobrẽ calũniatur isti quantũ uolent, & ut in prouerbio est, edentali uelcentiũ dentibus inuidẽt, nos spretis eorũ moribus, ceptos labores gnauiter & fideliter exequemur: **Zasiana** si qua habebimus, aut de cetero nacti fuerimus, studiosis quob; rẽpore candidè cõmunicabimus, haud dubie plurimũ hoc ipso toti ciuili prudẽtiæ facultati, illiusq; candidatis omnibus cõmodaturi. Eius enim uiri negligẽtiã, si qua tamen sit, quàm aduersarij nostri obscuram diligentiam, plus profuturam non dubitamus, quam hæctenus principibus etiam legalis disciplinæ uiris placuisse, & scimus ipsi, & propediem literis editis testabimur. Vale Lector, & **Zasiani** per nos frueri feliciter, conatusq; nostros qua par est beneuolentia prosequere, & aduersus æmulos adiuua.

# ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

DOMINO, DOMINO HERNESTO MAR-

chioni Badensi &c. Domino suo gratoſo, Nicolaus

Freizius D. ſeſe commendat.



VBuerer planè futuros, Illuſtris & generoſiſs. Prin-  
ceps, qui hanc præceptoris olim mei dum uiueret co-  
lendiſſimi, lucubrationum diuulgationē, ſiniſtrius &  
in peiorem quàm deceat partem, & interpretarentur,  
& acciperent, & audacię temeritatiſq; uerterēt potius  
uitio, quàm erga ſtudioſos gratę beneuolētię loco du-  
cerent, niſi Bonifaciꝝ Amerbachius Iurecōſultus Baſilienſis inter pau-  
cos præſtans, Zaſianę lectionis gultu delectatus quidē, ſed neutiquā  
ſatur futurus, ſuper illis apud me ſuperſtitibus, iterum, & in hanc ſen-  
tentiā, tertio & pridie nonas Ianuarias ſuperioris anni ſcripſiſſet, quod  
ſcilicet Zaſianarum lucubrationum plurimarum diuerſiq; generis the-  
ſaurum apud me eſſe & extare audiat, quem pro meo candore, atq; eis  
quas præceptoribus ac patrię & debeam, præſtariq; conueniat, obſer-  
uantia ac pietate, non occultatum à me, ſed ſtudioſis, quibus in publi-  
cum æditus prodeſſe poſſit, communicatum iri ſperet: ſic enim & præ-  
ceptoris honori, eius exiſtimationi illuſtrandę, nominisq; propagatio-  
ni aſſuiſſe & conſuluiſſe, & pñ discipuli officio perfunctus, ſed & fami-  
lię Zaſianę, Academia Friburgenſis ſamam, ac Germania nihil mi-  
hi non debiturę ornāmētum, illuſtiora reddidiſſe uideret: omittat in-  
terim totum literatum orbem, quem officio nunquam intermorituro,  
plurimū eſſem obligaturus. Ecce tibi quām doctiſſimus ille, uarię mul-  
tęq; lectionis et eruditionis uir, quo mihi ultro curſuro, cuiq; nihil aliud  
æquius in uoto ſit, calcaria tamen ſubijceret, nihil reliqui fecerit. Quin-  
etiam precibus hiſ & exhortationib. minas addens cōminatur: Quan-  
do quidem, inquiring, lucubrationes illas æditas et in lucem aſſertas eſſe  
publice omniumq; interſit, diem (niſi dicto fuerim audiens) mihi con-  
dicendum, atque ad eò ad exhibendum formulas me accepturum. Hęc  
fermè ille. Quoties hæc animo mecum cogito, & altiori mente reſoſita  
prouoco, lupum, quod dici ſolet, auribus tenens (ne fortè ſi diuulgem,  
temeritatiſ arrogantięq; notam incurram: ſi uero minus, canis alicui,  
ut in prouerbio eſt, in præſepi, Euclionis diuitias recōdere aſſeruareq;  
dicar) nō iniuria facturus, mea quidē ſentētia, mihi uidebor, ſi, quod a-  
pud Ouid. Vlyſſes ad Gręcos, amiſſum Achillem cōquerens, dicebat:

Si mea cum ueſtris ualuiſſent uota Pelasgi,

Non foret ambiguus tanti certaminis hæres,

Tuq; tuis armis, nos te potiremur Achille.

& quæ cętera ibidem pulcherrima conſequunt, cum omnibus nō tam

DN. VDALRICI ZASII  
LL. DOCT. CLARISSIMI IN  
PRIMAM DIGESTORVM SIVE PAN-  
DECTARVM PARTEM PARA-  
TITLA. PRAEFATIO.



10 **S**AEP E soleo dicere, auditores acceptissimi, nihil in  
uita ciuili, legis cognitione esse salubrius, utpote per  
quam in sese homo uirtute, ad alios dexteritate & iu-  
stitia cōponitur. At uero difficilem esse ad legem con-  
sequendam aditum, ignorare nemo potest, nisi cui li-  
brorum legalium immodica moles non sit comper-  
ta, si infinita commentariorum congeries interim taceatur. Quapro-  
pter opere precium fecisse merito censebitur, qui immensa isthęc in Sum-  
mulæ breuitatem coercuerit, & quæ parum ex ordine digesta sunt, in  
ordinem reduxerit. Hoc, precibus uestris adductus, facturum me pol-  
liceor, & præstiturum spero, dum quæ fideliter colligo, a uide excipia-  
tis, & non impetu quodam nouitatis capti, faciles incipiat, facilius de-  
sinentes. Pertinaci enim nixu, labore indefecto opus est, iuris ciuiliſ ar-  
20 dua peruadare uolenti. Nos in hac Digesti ueteris Sūmula colligenda  
(hæc enim uobis accepimus) eo passu procedemus, ut nec gradū su-  
spendamus, nec temerario excursu precipitemus. Ordo dabitur titulis  
pulcher & breuis. Porro & quæ uel in textibus uel gll. selecta putauero,  
uelut ad puncta congeram, Bartoli potissimum & Bald. & aliorū do-  
ctrinis, si quando necessitas exigat, non prætereundis. Nec uos angat,  
quod laboris nostri partem, anni etiam superiores exceperunt: noua-  
buntur enim multa, & uel breuius uel politius tractabuntur, & erit me-  
hercule, si perseueraueritis, non modica uobis futura utilitas. Nam &  
in casibus quibuscunq; obujs, ad presentem certe necessitatem, doctri-  
30 na, eruditione, consilio, magis apti, expediti, prompti reddemini, & ad  
subtilia legalium arcanorū, uia uobis commodior exhibebitur. Iuris  
ciuiliſ cognitionē tractaturis necesse est & causas nouisse: quarum tres  
negocio modico cognoscuntur. Satis enim constat Iustinianum in di-  
gerendis quinquaginta libris Pandectarū, autorem, seu (ut aiunt) cau-  
sam efficientem fuisse. Causa porro formalis, in forma tractandi resi-  
det. At uero materialis difficilius occurrit traditio: quæ cum fusius à  
Doctoribus tractantur, nos modicis expediemus. De materiali causa  
Azo in summa, & Bald. hic quædam satis inuoluta tractant. Ego uero  
breuioribus acturus, quantum ad præsentia sufficit, duplicem hic mate-  
40 riam considerari puto, scilicet ex qua, & circa quam. Materia legis ciuiliſ  
ex qua componitur, generaliter loquendo sunt, ius, iustitia, & æqui-  
tas. Specialiter uero sunt ll. duodecim tabularum, & dicta prudentum,

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.



Extensive faint, illegible text covering the middle and lower portions of the page, likely bleed-through from the reverse side.